

**BREVE EIVSDEM SANCTISSIMI
D.N. Urbani PP. VIII. in fauorē Recollectionis,
circa confirmationē electionis Vicarij Generalis
ad instantiam Patris Ildefonsi à sanctissimo
Sacramento Procuratoris Generalis
Romane Curie concessum.**

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.
Commisi Nobis per abundantiam diuinę gratię
pastoralis officij debitum postulat, vt in his, per quę
Christi fidelium sub suavis Religionis iugo Altissimo famu-
la nentium prospero statui, foeliciq; directioni consulitur, se-
dulò intendamus, eaq; statuamus, & decernamus, per quę
ijdem Christi fideles licitū sublati obstaculis in pacis amœ-
nitate reddere valeant Domino abundanter fructus suos.
Cum itaq; sicut accepimus, inter dilectos filios fratres Cal-
ceatos Ordinis B. Mariz de Mercede Redemptionis Cap-
tiuorum ex vna, & fratres Discalceatos nuncupatos eiusdē
Ordinis ex altera partibus, vertatur lis & causa de & super
confirmatione Vicarij Generalis prædictorū fratrum Discal-
ceatorum, instantibus & petentibus fratribus Discalceatis
huiusmodi, & cum supplici libello Nobis porrecto, & per
Nos ad venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardin. negotijs
Regularium præpositos trāsmisso, illos de cetero amplius iux-
ta concordiam inter ipsos factam, & per sel. rec. Gregoriū
Papam XV. prædecessorem nostrum, ac etiam Nos confir-
matam, non astringi, aut teneri petere dictę electionis con-
firmationem à dilecto filio Magistro Generali fratrum Cal-
ceatorum huiusmodi, ex quo id fieri non possit sine magno
ipso.

ipſorū fratrum Diſcalceatorum incommodo, & perturbatio-
ne, præſertim cum id Magiſter Generalis etiam ſine aliqua
iuſta cauſa per binas vices illam concedere recuſauerit, vel
dare diſtulerit: dictis verò fratribus Calceatis aliter præte-
dētibus, rebuſq; alijs in actis cauſæ & cauſarū huiuſmodi la-
tiuſ deductis: Nos pro noſtri paſtoralis officij debito pa-
ci & quieti, & felicique fratrum eiſdem Ordinis regimini,
quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, ad
diſſenſiones, quibus Religioſi carere debent, de cætero eui-
tandas, de eorundem Cardinalium cōſilio partibus pluries
auditis, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpe-
tuò ſtatuímus, & ordinamus, quòd Vicarius Generalis di-
ctorum fratrum Diſcalceatorum pro tēpore electus in ſig-
num ſolius præeminentie Magiſtro Generali fratrum Cal-
ceatorum huiuſmodi in ſupplicata concordia reſeruate, in-
fratres meſes à die ſuæ electionis teneatur eandem ele-
ctionem præſentare eidem Magiſtro Generali fratrum Cal-
ceatorum, qui illam abſque aliqua contradictione, & cog-
nitione ſuper eiſdem electionis validitate, an videlicet ca-
nonicè facta fuerit, confirmare debeat: ſi verò id facere re-
cuſauerit, vel confirmationem prædictam à die præſenta-
tæ electionis ultra quindecim dies dare diſtulerit, dictus Vi-
carius Diſcalceatus electus accedat, & recurſum habeat
pro eadem confirmatione obtinenda ad noſtrum, & Sedis
Apoſtolice Nuntium in Regnis Hiſpaniarum commoran-
tem. Dictis verò fratribus tam Calceatis, quàm Diſcalcea-
tis perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponimus. De-
cernentes ſtatutum, & ordinationem noſtram huiuſmodi,
præſentesque literas perpetuò valida, firma, & efficacia fo-
re & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, &
obſtare, ſicq; & non aliter in præmiſſis perpetuò obſerua-
ri, & ita per quoſcūque Iudices ordinarios, & delegatos, &
cauſarū Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales,
& etiam de latere Legatos, dictuſq; Sedis Nuntios, vbique iudi-
cari,

eatis, & defuari debere, ac irritum, & inane, si quid secus
 per his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignora-
 ter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs causarum Cur-
 iæ Camere Apostolicæ, Generali Auditori, ac nostro & A-
 postolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio, ac Oficiari-
 li Toletano nunc, & pro tempore existentibus, per præsen-
 tes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut
 vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentem literas, &
 in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac
 quoties pro parte fratrum Discalceatorum prædictorum fue-
 rint requisiti, solemni ter publicætes, eis que in præmissis ef-
 ficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate
 nostra illos præmissorum commodo & effectu pacificè frui
 & gaudere, non permittentes illos desuper à quocunq; qua-
 uis auctoritate quomodolibet indebitè molestari: cõtradi-
 ctors quoslibet, & rebelles per cõsuras & pœnas Ecclesia-
 sticas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia appellatione
 postposita cõpescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,
 auxilio brachij secularis. Non obstantibus scilicet. recor. Bo-
 nifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio
 Generali edita de duabus dietis, dũmodo vltra tres dietas
 aliquis auctoritate præsentium in iudiciũ non trahatur, alijsq;
 cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus
 præmissis aduersatur cõcordia prædicta, necnõ dicti Ordini
 etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
 firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuile-
 gijs quoque, inductis, & literis Apostolicis, sub quibuscunq;
 tenore, & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in
 contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirma-
 tis & innouatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenore
 presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in
 suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, &
 expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunq;
 Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam im-
 pres-

presens manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo
personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadē
protus ubique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ
presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel osten-
sæ. Datt. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub an-
nulo Piscatoris, die v. Nouembris M. DC. XXX. Pontifi-
catus nostri anno Octauo. M. A. Maraldus. A tergo locus
annuli † Piscatoris. ¶ Attestor, indubiãq; fidem facio ego
Notarius publicus infrascriptus, qualiter huiusmodi tran-
sumptū concordat cum suo Breui originali, à quo fuit fide-
liter extractum. In quorum fidem hic me subscripsi, & meū
solitum signum feci: Romæ hac die duodecima Decem-
bris anni Domini millesimi sexcentissimi trigessimi. Ita est,
Iacobus Moret laicus Elnensis Diœcesis auctoritate Aposto-
lica Notarius publicus in utroque Archivo descriptus manu
propria.

Yo Francisco Martinec Tenigo Presbte Not
Publico apostolico en esta Villa de Madrid y Arzobpdo
de Toledo corregi y collacione esta copia y traslado con
su original que bolui a la parte de los padres de exalcos de
Dna senora de la rmd que me se exhibio para esse
efecto y esta bien y fiel mente copiado y enge dello
Lo digne y firme en Madrid a quatro de Mayo
de mill y seis cientos y treinta y un años.

In testimonio  del Verdad

Francisco Martinec
Notario publico